

PONTIFICIA COMMISSIONE
CODICI IURIS CANONICI
AUTHENTICE INTERPRETANDO

COMMUNICATIONES

VOL. XVII - N. 2

1985

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO

PIAZZA Pio XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRE 1985

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Ex allocutione Summi Pontificis Patrum Cardinalium Collegii Plenaria exeunte	151
Dall'Omelia del Santo Padre alla Santa Messa a conclusione dell'Assemblea Straordinaria del Sinodo dei Vescovi	153
Discorso del Santo Padre alla Curia Romana in occasione degli Auguri natalizi	155

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Decretum quo, determinatis condicionibus servatis, christifidelibus conceditur ut indulgentiam plenariam Benedictioni papali adnexam percipere valeant, etiam ope instrumenti televisifici vel radiophonici	163
---	-----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus Studiorum « De Laicis » (Sessio I)	164
II. Coetus Studiorum « De Laicis » (Sessio II)	197
III. Coetus Studiorum « De Religiosis » (Sessio IV)	240

ACTA COMMISSIONIS

Responsa ad proposita dubia	262
---------------------------------------	-----

DOCUMENTA

I. Momentum Codicis Iuris Canonici ad applicationem Concilii Vaticani II quod attinet	263
II. Some Reflections on the proper way to approach the Code of Canon Law	267
III. The juridical Status of the Laity: The Contribution of the Conciliar Documents and the 1983 Code of Canon Law	287

NOTITIAE	316
--------------------	-----

Index rerum generalis Voluminis XVI (1984)	317
--	-----

Index rerum generalis Voluminis XVII (1985)	319
---	-----

II

COETUS STUDIORUM
« DE LAICIS »

Sessio II

(Conventus habitus diebus 16-21 oct. 1967)

Diebus 16-21 octobris 1967 habita est, in Aula Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo secunda Sessio studii Coetus Consultorum « De Laicis », pro qua sequentes quaestiones pertractandae positae sunt:

- 1) Statutum iuridicum fundamentale Christifidelium;
- 2) Legislatio de Associationibus fidelium in genere.

Decem conventus habitu sunt, quibus adfuerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas generales Codicis I.C. Decem Conventibus intererant sex Consultores, una cum Rev.mo Commissionis Secretario adjuncto, qui munere moderatoris fungebatur et Rev.mo Adiutore a studiis eiusdem Commissionis, qui munere actuarii fungebatur.

Aberant, quia legitime impediti, Rev.mi duo Consultores.

Em.mus Commissionis Praeses, Card. Pericles Felici, qui, dum hae adunationes locum habebant, munere fungebatur Praesidis Delegati in primo plenario coetu Synodi Episcoporum, nonnullis adunationibus huius coetus « De Laicis » adfuit horis pomeridianis et Consultores certiores reddidit de favore quo Synodus Episcoporum excepit Principia directiva pro recognitione Codicis, a nostra Commissione proposita.

Relationem de quaestionibus huic Coetui Consultorum propositis apparavit Rev.mus Del Portillo et vota confecerunt sex Consultores.

Omnia haec a Secretaria Commissionis studio uniuscuiusque Consultoris submissa sunt.

Labores huius Sessionis studii introducit Rev.mus Secretarius A., qui, omnibus consentientibus, proponit ut, antequam ad elaborationem Statuti generalis christifidelium procedatur, Coetus operam det recognitioni statuti laicorum, iam apparati, iuxta propositiones quas ipsi Consultores manifestarunt.

I

RECOGNITIO STATUTI IURIDICI LAICORUM

(Cfr. Relatio conclusiva primae Sessionis huius Coetus, *Ad can. 1*
(De notione laicorum)

Primus Consultor censet hanc definitionem magis fundandam esse in doctrina Const. *Lumen gentium*, ita ut clarius et modo magis positivo appareat character saecularis laici, nam « Laicis indoles saecularis propria et peculiaris est » (n. 31).

Secundus Consultor novam proponit redactionem, in duas paragraphos divisam, quarum prima intendit per quandam explanationem terminologicam materiam definire, altera vero proponit positivam notionem laici, iuxta ea quae a priore Consultore in mentem revocata sunt quaeque essentialia aestimantur in Const. *Lumen gentium*: « Laicorum est res temporales gerendo et secundum Deum ordinando, regnum Dei quaerere » (n. 31).

Rev.mus Secretarius Adiunctus assentit in eo quod definitio laici sit magis positiva et specifica; censet tamen opportunum non esse ut canon in duas paragraphos dividatur.

Tertius Consultor postulat ut laici definitio incipiat a parte positiva, nempe ab elemento specifico saecularitatis, quae omnia tum in vita tum in actione laicorum imbuunt. Hic est, aiunt nonnulli Consultores, conceptus vere fundamentalis qui, nisi continenter ob oculos habeatur, iterum ducere potest ad confundendam notionem *fidelis* cum notione *laici*.

Est Consultor qui concordat cum animadversionibus factis, et adiungit praetermittendum non esse laicum participare munus Christi sacerdotale, regale et propheticum sub hac ratione saecularitatis, scilicet ipsum sanctificari et apostolatum exercere, praecise in structuris saecularibus atque ex iis structuris saecularibus. In iis enim adiunctis laici ordinarie inveniuntur et plene implicantur. Haec est peculiaris participatio laici in missione totius Ecclesiae, quae quidem identificari nequit cum iis quae laico *generice* competunt quatenus ipse est fidelis, neque cum iis quae ad ipsum pertinere possunt tamquam *functio suppletiva* cleri.

Alter Consultor, cuius votum legitur, postulat quoque ut definitio laici sit magis positiva, ita tamen ut videri non possit laicorum apostolatum solummodo « in mundo » exerceri, quia adest etiam eorum apostolatus « in Ecclesia » exercendus.

Est etiam qui opportunum non censem ut in laici notione introducatur praefata distinctio « in mundo » et « in Ecclesia ». Haec enim distinctio — quae clara non est — favere posset divisioni vel dicotomiae in vita et in actione laicorum, cum sequelis damnosis tum pro eorum spiritualitate tum pro eorum apostolatu. Ecclesia quidem non est mundus, sed neque eius ambitus est totaliter segregatus a mundo. Est enim « anima mundi » (Const. *Gaudium et spes*, n. 40). Fidelis laicus — opifex, medicus, miles, etc. — quando est « in mundo », in structuris saecularibus — in officina, in nosocomio, in castris, etc. — est simul et inseparabiliter « in Ecclesia »: non est schismatiscus vel apostata. Dici nequit laicum esse « in Ecclesia » solummodo quando invenitur in aliqua *structura sociali ecclesiastica*: in templo, in schola catholica vel in Consilio pastorali dioecesano, etc.

Tres Consultores manifestant pariter se non stare pro hac distinctione. Potius distinguendum est inter id quod est commune cunctis christifidelibus et id quod est proprium ac peculiare laicorum. Hac de causa — aiunt — notio *christifidelis* bene determinetur.

Rev.mus Secretarius A. adiungit notionem laici ad mentem Rev.mi Philips includere debere tum genus — *fidelis* — tum differentiam specificam, sive negativam sive positivam. Haec vero ultima continet etiam officium confitendi et propagandi Fidem, verbo et opere, quamvis haec annuntiatio verbi Dei non fiat auctoritative, uti patet, quia annuntiatio verbi Dei modo officiali et auctorativo pertinet tantum ad Hierarchiam seu ad publicam Ecclesiae auctoritatem.

Unus e Consultoribus affirmit laicos re vera habere formam specificam participandi sacerdotium commune Christi. Propterea necessario invicem complentur — nedum oppositio vigeat — saecularitas et exercitium sacerdotii communis. Laicus enim munus Christi sacerdotale participat non solum cum actuosa partes agit in vita liturgica Ecclesiae, verum etiam cum Deo offert pondus et meritum sui laboris professionalis et relationum socialium et familiarium. Participat etiam in Christi munere prophetico non solum cum docet in schola catechistica, sed etiam — immo magis specifice — cum modo personali, privato et amicali de Christo deque Eius nuntio loquitur cum comite laboris, cum amico vel cum suis filiis.

His dictis ceteri Consultores assentientur. Proponitur demum ut de relationibus cum sacris Pastoribus non agatur in ipsa definitione laicorum, eadem de causa qua circa hanc rem non agitur in notione clericorum vel in notione religiosorum. Magis ergo expedire videtur

ut canon generalis exaretur de oboedientia in Statuto omnium Christifidelium.

Rev.mus Secretarius A., omnibus perpensis, quae in deliberatione prolatâ sunt, hos textus proponit pro definitione *Christifidelis et laici*:

Canon: « Nomine christifidelium intelleguntur homines omnes qui, utpote baptismate Christo incorporati, in Populum Dei sunt constituti, quique hac ratione, de munere Christi sacerdotali, prophetico et regali pro parte sua participes facti, unusquisque secundum proprium statum, missionem quam Deus Ecclesiae in mundo adimplendam concrēdit exercent » (cfr. Const. *Lumen gentium*, nn. 11, 12, 31).

Canon: « In canonibus huius Codicis, nomine laicorum intelleguntur omnes christifideles, iis exceptis qui, ordine sacro recepto, ad ministerium divinum sunt deputati et qui in Instituto ab Ecclesia sancito statum religiosum assumpserunt; christifideles scilicet, sive viri sive mulieres, qui in saeculo viventes et tamquam vitae saecularis consortes missionem Ecclesiae salvificam pro parte sua, etiam canonibus determinanda, exercent, videlicet vitam divinam Ecclesiae participantes atque fidem quam a Deo per Ecclesiam receperunt verbo et opere confitentes ac propagantes, praesertim in rebus temporalibus gerendis et in muneribus saecularibus exercendis Christi testimonium reddentes » (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 31; Decr. *Apostolicam actuositatem*, nn. 2 et 7; Const. *Gaudium et spes*, n. 43).

Duae hae formulae omnibus placent, factis vero, quoad canonem de laicis, sequentibus animadversionibus:

— Lin. 3: loco « et qui » scribatur « aut » (1 Consultor).

Animadversio accipitur iuxta modum, scilicet dicatur « aut qui ».

— Lin. 6: expungatur verbum « tamquam » ut idea fortius affirmetur (1 Consultor). Accipitur propositio.

— Lin. 7: expungantur verba « etiam canonibus determinanda », quia vita laici ordinarie evolvitur in structuris saecularibus et civilibus, quae normis Iuris Canonici non reguntur (1 Consultor). Animadversio tamen non accipitur quia — uti notat Rev.mus Secretarius A. — verbum « etiam » iam innuit has determinationes fieri quoque extra ambitum legis canonicae. In Codice utique inserenda tantum sunt quae ad Ecclesiae missionem pertinent, salva legitima autonomia ordinis temporalis.

Facta suffragatione, duo hi canones ab omnibus approbantur, cum praedictis emendationibus.

Ad can. 2 (De oboedientia erga sacros Pastores)

Rev.mus Secretarius A. in adstantium mentem revocat nonnullos Consultores postulasse ut textus huius canonis transferatur ad statutum generale fidelium, quia omnia membra Ecclesiae sectari revera tenentur illa quae sacri Pastores tamquam magistri et rectores docent et statuunt.

Facta suffragatione, proposita textus translatio ab omnibus approbatum.

Quidam Consultor proponit ut dicatur solummodo « oboedientia responsabili » et affirmetur oboedientiam referri solummodo ad ea quae Pastores docent et statuunt « ad finem supernaturalem ».

Respondet Rev.mus Secretarius A. talem additionem necessariam non videri quia idea implicita continetur sub formula « tamquam magistri et rectores *in Ecclesia* ».

Alter Consultor postulat ut dicatur solummodo « christiana oboedientia ».

Est denique qui existimat adiectivum « voluntaria » supprimi posse, quia reapse loqui non licet de oboedientia vere christiana quae non sit voluntaria. Expedit tamen — adiungit idem Consultor — ut servetur adiectivum « responsabili »; nam ita apte significatur agi in casu de oboedientia conscientia et activa.

Factis suffragationibus de singulis propositis animadversionibus, formula canonis, qui transferendus est ad Statutum generale fidelium, ita manet:

« Christifideles illa quae sacri Pastores tamquam magistri et rectores in Ecclesia docent et statuunt, christiana oboedientia responsabili sectari tenentur » (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 37; Decr. *Presbyterorum ordinis*, n. 9 in fine).

Ad can. 3 (De libertate in rebus civitatis terrenae).

Consultor quidam quaerit an expedit ut specificetur hoc laicorum ius vindicari erga sacros Pastores.

Attamen Rev.mus Secretarius A. respondet non solum erga sacros Pastores, sed etiam erga omnes in Ecclesia; additio ergo proposita secumferret limitationem ambitus exercitii talis iuris.

Secundus Consultor postulat ut dicatur: « iusta libertas ».

Rev.mus Secretarius A. animadvertisit additionem non esse necessariam, quia iam dicitur illam libertatem adhibendam esse « iuxta legem divinam ab Ecclesiae magisterio declaratam ».

Tertius Consultor quaerit num hic canon transferri possit ad Statutum generale fidelium.

Obiiciunt tamen unus e Consultoribus et Secretarius A. heic agi de libertate quae specificie laicis competit. Multae enim adsunt activitates saeculares ordinis politici, oeconomici etc., quas clerici exercere nequeunt sine licentia sacerorum Pastorum, uti specificatur in statuto personali clericorum.

Est Consultor qui in suo voto proponit ut in hoc canone aliquid etiam dicatur de peculiari responsabilitate quae laicis in civitate terrestri competit; sed — uti animadvertisunt nonnulli Consultores — hac de re satis iam agitur in canone 1, ubi ea recensentur quae peculiariter ad laicos pertinent.

Textus ergo canonis hic est:

« Ius est laicis ut ipsis agnoscatur ea in rebus civitatis terrenae libertas quae omnibus competit, iuxta legem divinam ab Ecclesiae magisterio declaratam » (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 37; Decr. *Presbyterorum ordinis*, n. 9; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 24; Const. *Gaudium et spes*, n. 43).

Ad can. 4 (De iure ad bona spiritualia)

Omnibus placet ut hic canon transferatur sine ulla emendatione ad statutum generale fidelium. Omnes enim fideles, etiam clerici, hoc iure quidem gaudent.

Textus canonis est sequens:

« Fideles ius habent ex spiritualibus Ecclesiae bonis, verbi Dei praesertim et Sacramentorum adiumenta a sacris ministris accipiendi iuxta sacerorum canonum praescripta » (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 37; Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 19; Decr. *Presbyterorum ordinis*, n. 9; C.I.C., can. 682).

Ad can. 5 (De iuvamine praestando Ecclesiae operibus)

Quidam Consultor in suo voto proponit, et a ceteris Consultoribus accipitur, ut etiam hic canon transferatur ad statutum generale christifidelium.

Est qui necessarium non existimat ut in § 2 servetur concreta enumeratio finium.

Respondet autem Rev.mus Secretarius A. nihil obstare tali specificationi quae desumpta est e Decr. *Presbyterorum ordinis*, n. 17.

Alter Consultor proponit ut in ipsa § 2, claritatis causa, dicatur: « *eidem Ecclesiae proprios* ».

Additio admittitur. Textus ergo, ad statutum generale fidelium transferendus, sequens est:

« § 1. Fideles sciant sua esse Ecclesiae opera, ideoque eadem precibus et sacrificiis, atque pro propria idoneitate inceptis quoque apostolicis sustineant.

§ 2. Officio tenentur, ratione habita uniuscuiusque facultatum et status familiae, curandi ut Ecclesiae praesto sint ea quae ad cultum divinum, ad honestam clericorum aliorumque ministrorum sustentationem vel remunerationem et ad alias fines eidem Ecclesiae proprios necessaria sunt media » (cfr. Decr. *Ad gentes*, n. 36; Decr. *Presbyterorum ordinis*, nn. 17, 20 et 21; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 21; C.I.C., can. 1496).

Ad can. 6 (De obligatione et iure cognoscendi doctrinam christianam)

Est qui, per Rev.mum Secretarium A., proponit ut in § 1 sequentia verba addantur: « ... ut cognitionem habeant doctrinae *quam tota Ecclesia profitetur* et quae... ». Sic enim introducitur conceptus sensus fidei Populi Dei.

Propositio accipitur.

Rev.mus Secretarius A. proponit ut dicatur « a Collegio Episcopali » loco verborum « a Conciliis Oecumenicis ».

Censent attamen duo exc.mi Consultores emendationem necessariam non esse, quia idea iam implicite continetur.

Exc.mus quidam Consultor proponit ut in § 1 expungantur verba « quippe qui omnes ad incrementum Regni Christi in mundo cooperari debeant ». Sunt enim verba explicativa hic non necessaria. Notat deinde Exc.mus in eadem § 1 addendum quoque esse cognitionem doctrinae christiana requiri imprimis ad sanctificationem personalem, deinde vero ad apostolatum exercendum.

Animadversiones Consultoris de quo supra accipiuntur, et approbatur sequens textus emendatio: « Laici, ut secundum doctrinam a Christo revelatam et ab Ecclesia declaratam vivere valeant, eamque et ipsi enuntiare atque, si opus sit, defendere possint, obligatione... ».

Textus ergo canonis ita manet:

« § 1. Laici, ut secundum doctrinam a Christo revelatam et ab Ecclesia declaratam vivere valeant eamque et ipsi enuntiare atque, si

opus sit, defendere possint, obligatione tenentur et iure gaudent ad acquirendam eiusdem doctrinae cognitionem, propriae uniuscuiusque capacitati et condicioni aptatam. Quare curare debent ut cognitionem habeant doctrinae quam tota Ecclesia profitetur et quae a Conciliis Oecumenicis, a Summis Pontificibus et a propriae Ecclesiae particularis Pastoribus traditur.

§ 2. Facultate quoque gaudent ut, servatis a iure statutis, plenioram illam in scientiis sacris acquirant cognitionem, quae in Ecclesiasticis Universitatibus facultatibusve aut in scholis scientiarum religiosarum traduntur, ibidem lectiones frequentantes et gradus academicos consequentes.

§ 3. Item, servatis praescriptis quoad idoneitatem requisitam statutis, habiles sunt qui missionem docendi scientias sacras a legitima auctoritate ecclesiastica recipiant » (cfr. quoad § 1: Decl. *Dignitatis humanae*, nn. 14, 3º et 4º; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 29; Decr. *Ad gentes*, n. 26; Const. *Lumen gentium*, n. 35 in fine; Const. *Gaudium et spes*, n. 43, 2º in fine. – Quoad § 2: Const. *Gaudium et spes*, n. 62, 7º; Decl. *Gravissimum educationis*, n. 10, 2º. – Quoad § 3: Const. *Gaudium et spes*, n. 62, 7º; Decr. *Ad gentes*, n. 41, 5º).

Ad can. 7 (De laicorum iure optata sua et sententias declarandi)

Duo Consultores proponunt, et propositio accipitur, ut quae in hoc canone statuantur, transferantur ad statutum generale fidelium.

Ill.mus quidam Consultor postulat praeterea ut canon in duas paragraphos dividatur, ita ut apte dividantur duae res inter se diverse, nempe: sacris Pastoribus patefacere necessitates et optata personalia, id est, quae bonum privatum respiciunt, atque publice declarare proprias sententias de iis quae Ecclesiae bonum respiciunt.

Huic propositioni 4 Consultores accedunt qui manifestant § 2 canonis hoc modo referentiam facere ad publicam opinionem, de qua in Decr. *Inter mirifica*, n. 8.

Alter Consultor proponit, et eius opinioni accedunt plurimi Consultores, ut deleantur verba « eisdem Pastoribus ». Necessarium enim non est ut semper res ita fiat. Fideles quidem suam sententiam communicare possunt cum omnibus, dummodo hoc fiat cum debita prudencia.

Est tertius Consultor qui proponit ut loco « debita cum reverentia ac prudentia » dicatur « cum caritate ac prudentia ».

Rev.mus Secretarius A. postulat ut, praesertim quia agitur de opinione publica, addatur « in veracitate ». Praeterea ipse Rev.mus Secretarius A. desiderat ut in fine § 2 dicatur: « servata semper reverentia sacris Pastoribus debita », loco « servatis modis a iure particuliari statutis ».

Factis suffragationibus, propositae textus emendationes recipiuntur. Redactio ergo canonis, in statutum generale fidelium includenda, haec est:

« § 1. Fideles ius habent ut necessitates et optata sua, praesertim spiritualia, libere et fidenter sacris Pastoribus pateficiant.

§ 2. Item, pro scientia et competentia quibus pollut, facultatem, immo et aliquando officium, habent, ut sententiam suam de iis quae bonum Ecclesiae respiciunt in veracitate, cum caritate ac prudentia declarent, servata semper reverentia sacris Pastoribus debita » (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 37; Decr. *Presbyterorum ordinis*, n. 9; Const. *Gaudium et spes*, n. 92, 2º; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 6 ult.; Decr. *Inter mirifica*, n. 8).

Ad can. 8 (Laicorum participatio in missione Ecclesiae)

Nulla fit animadversio in textum huius canonis, cuius tres paragraphi in successivis suffragationibus approbantur.

Est Consultor qui proponit ut quaedam addantur de obligatione Hierarchiae agnoscendi ac fovendi ius quo laici gaudent exercendi apostolatum. Additio tamen non censetur necessaria nam — uti ait Rev.mus Consultor — hoc iam impliciter dicitur in textu § 1, ubi affirmatur ius ad apostolatum promanare ex recepto baptismate, non ex concessione Hierarchiae.

De laicorum vero formatione ad apostolatum satis iam agitur aliis in canonibus.

Textus ergo huius canonis manet sicuti erat, scilicet:

« § 1. Laici, quippe qui uti omnes christifideles ad apostolatum, i.e. ad participationem missionis salvificae Ecclesiae a Deo per baptismum deputentur, generali obligatione tenentur, sive singuli sive in associationibus coniuncti, adlaborandi ut divinum salutis nuntium ab universis hominibus ubique terrarum cognoscatur et accipiatur; quae obligatio eo vel magis eos urget iis in adjunctis in quibus non nisi per ipsos Evangelium audire et Christum cognoscere homines possunt.

§ 2. Peculiari adstringuntur officio rerum temporalium ordinem spiritu evangelico imbuendi atque perficiendi.

§ 3. Praeterea, habiles sunt qui vocentur ut diversis modis cum apostolatu Hierarchiae immediate cooperentur » (cfr. quoad § 1: Const. *Lumen gentium*, n. 33; Decr. *Ad gentes*, nn. 36, 1^o et 21; Decr. *Apostolicam actuositatem*, nn. 2 et 3. – Quoad § 2: Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 3; Const. *Gaudium et spes*, n. 43. – Quoad § 3: Const. *Lumen gentium*, n. 33, 3^o; Decr. *Apostolicam actuositatem*, nn. 10 et 24, 6^o).

Ad can. 9 (Laicorum cooperatio cum sacris Pastoribus)

Quidam Rev.mus Consultor proponit in suo voto ut duae paragraphi addantur de iure laicorum ad curam pastoralem recipiendam et de eorum participatione in missione Ecclesiae. Propositio tamen non accipitur: sunt enim res quae iam alibi pertractantur, ut aiunt nonnulli Consultores, Secretarius A. et alii.

Est Consultor qui petit ut in initio § 2 haec fiat additio: « *Habiles etiam sunt, si idonei reperiantur, ut...* ». Propositio accipitur sub formula « ... qui idonei reperiantur... ».

Textus ergo canonis ita manet recognitus:

« § 1. Laici, debita scientia, experientia et virtute praestantes, habiles sunt qui tamquam periti aut consiliarii ab Ecclesiae Pastoribus audiantur.

§ 2. Habiles etiam sunt qui idonei reperiantur ut ad quaedam munera ecclesiastica a sacris Pastoribus adsumantur, in specie ut in consiliis paroecialibus, diocesanis, nationalibus, regionalibus aut universalibus partem habeant, ad normam iuris universalis aut particularis » (cfr. quoad § 1: Const. *Lumen gentium*, n. 33. – Quoad § 2: Const. *Lumen gentium*, n. 33, 3^o; Decr. *Christus Dominus*, n. 10; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 24, 7^o).

Ad can. 10 (De libertate in inquisitione scientifica)

Proponit Rev.mus Secretarius A., et approbatur, ut textus huius canonis transeat ad statutum generale fidelium.

Alter Consultor, per Rev.mum Secretarium A., postulat ut loco « cum sacris Pastoribus communicent » dicatur « cum aliis communcent ». Rationes huius propositionis sunt quae a quodam Consultore afferebantur quoad primam textus redactionem (Relatio primae Coetus

Sessionis). Propositio accipitur, quia re vera huiusmodi scientificae conclusiones communicari possunt cum omnibus, dummodo id fiat cum debita prudentia (2 Consultores) atque servato obsequio erga Magisterium (2 Consultores).

Textus ergo canonis ita approbatur:

« Omnes christifideles qui sacris disciplinis studendis incumbunt, facultate gaudent ut, propriis singularum disciplinarum principiis ac methodo servatis, de quaestionibus ad scientias sacras vel cum sacris connexas pertinentibus libere inquisitionem instituant, utque conclusiones ad quas deveniant, debita cum prudentia atque necessario erga Ecclesiae Magisterium obsequio, cum aliis communicent » (cfr. Const. *Gaudium et spes*, n. 62, ult.; Decl. *Gravissimum educationis*, nn. 10 et 11; Decr. *Unitatis redintegratio*, n. 11, 3º).

Ad can. 11 (Laicorum participatio in celebrationibus liturgicis)

Quoad § 1 canonis, est Consultor qui asserit laicos quidem iure gaudere officioque teneri active participandi in Liturgia, iuridica tamen obligatione ipsos non adstringi, praeter casum necessitatis, fungendi muneribus lectoris, commentatoris vel cantoris etc. Aptius ergo esset loqui de facultate quam de iure vel officio.

Animadversio recipitur.

Proponitur a quodam Consultore ut § 1 dividatur in duas paragraphos. Ceteris autem Consultoribus id non videtur necessarium; sufficit enim ut, post « participant », dicatur « atque facultate gaudent ».

Censet Exc.mus Consultor addenda esse verba « iudicio Ordinarii loci », in initio § 2, ut abusus caveatur. Animadvertisunt tamen Rev.mi Secretarius A. et alter Consultor adiuncta adesse extraordinaria (bella, etc.) in quibus contingere potest ut Pastores non adsint, vel ut ipsi impedianter a communicatione cum fidelibus. Praeterea, ad praecavendos abusus, iam ponitur in fine paragraphi, clausula « iuxta iuris universalis et particularis praescripta ». Additio ergo non admittitur.

Textus canonis ita approbatur:

« § 1. Ipsi baptismatis ratione, laici, sicut omnes christifideles, officium et ius habent ut plene, conscientie et actuose in celebrationibus liturgicis participant atque facultate gaudent ut munib[us] ministrantis, lectoris, commentatoris, cantoris, aliisve certis ministeriis, ad normam iuris, fungantur.

§ 2. Ubi Ecclesiae necessitas aut utilitas id suadeat, possunt etiam, deficientibus sacris ministris, quaedam eorundem officia supplere, videlicet doctrinam tradere, precibus praesesse, baptismum conferre atque Sacram Communionem distribuere, iuxta iuris universalis et particularis praescripta » (Cfr. quoad § 1: Const. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 14, 29, 79 in fine. – Quoad § 2: Const. *Lumen gentium*, n. 35 ult.; Decr. *Ad gentes*, n. 17 ult.; Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 35, 4º).

Ad can. 12 (De laicis speciali servitio Ecclesiae addictis)

Nulla proponitur emendatio, et ideo textus huius canonis iterum approbatur uti iacet, scilicet:

« Laici, sive caelibes sive matrimonio iuncti, qui aut permanenter aut pro tempore speciali Ecclesiae servitio addicuntur, obligatione tenentur ut aptam acquirant formationem ad munus suum debite impletum requisitam, utque hoc munus conscientie, impense ac diligenter adimpleant; ius habent ad honestam remunerationem eorum conditioni aptatam, qua decenter, servatis quoque iuris civilis praescriptis, necessitatibus propriis ac familiae providere valeant, itemque ius ut sui praevidentiae ac praeaventiae sociali ac adsistentiae sanitariae quam dicunt debite provideatur » (cfr. Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 22; Decr. *Ad gentes*, n. 17).

Ita ergo expletur recognitio statuti iuridici laicorum.

II

STATUTUM IURIDICUM GENERALE OMNIUM CHRISTIFIDELIUM

Rev.mus Secretarius A. proponit, et approbatur, ut in examine huius statuti sumatur uti basis disceptationis schema propositum a Rev.mo Relatore. In fine sessionis ordo definitivus statuendus est.

Sequentes ergo quaestiones pertractantur *De notione christifidelis*. Discussus iam est textus huius canonis qui ita manet approbatus:

« Nomine christifidelium intelleguntur homines qui, utpote baptimate Christo incorporati, in Populum Dei sunt constituti, quique hac ratione, de munere Christi sacerdotali, prophetico et regali pro

parte sua participes facti, unusquisque secundum proprium statum, missionem quam Deus Ecclesiae in mundo adimplendam concredidit exercent » (cfr. Const. *Lumen gentium*, nn. 11, 12, 13).

De his quibus haec iura et obligationes correspondent

Iuxta Exc.mum quandam Consultorem, in § 1 canonis (qui in praecedente sessione iam fuit approbatus; (cfr. Relatio I^{ae} sessionis), includi debent etiam religiosi; in § 2 norma statui debet qua appareat obligationes et iura ex ipso Codice aut statuto particulari inducta — ex. gr. Ordinis religiosi — non impedire per se iura personarum fundamentalia neque ab obligationibus generalibus eximere.

Rev.mus Secretarius A. animadvertisit in § 1 iam dici possessionem horum iurium et obligationum communem esse cunctis christifidelibus ideoque etiam religiosis. Sed aliud est possessio et aliud exercitium iuris, et contingere potest — talis est casus religiosorum — quod aliqua persona libere renuntiet exercitio iuris quin ex eo eius possessionem amittat. De hac renuntiatione agitur in § 2 canonis.

Idem Consultor qui supra his dictis assentit quoad exercitium iurium, sed putat obligationes aequales esse pro omnibus. Professio enim religiosa efficere nequit ut aliqui fideles eximantur ab impletione obligationum fundamentalium baptizatorum.

In fine, Rev.mus Secretarius A. proponit, et propositio accipitur, ut dicatur: « ... aut ab implendis *quibusdam* obligationibus exempti sint... ».

Alter Consultor postulat, quoad § 1, ut dicatur defectum legitimatis natalium per se limitare non posse horum iurium fundamentalium possessionem et exercitium.

Rev.mus Secretarius A. respondet hanc forsitan esse mentem futurae legislationis, sed prudentiae magis congruere ut hac de re non agatur expresse in hoc canone statuti generalis fidelium, quia loca Codicis adesse possunt ubi legislator expedire censeat ut quaedam condiciones apponantur legitimatem natalium respicientes. Si admittatur propositio Consultoris de quo supra, ius ad statum libere eligendum, quod sane in hoc statuto ponendus est filiis adulterinis et sacrilegis conferret ius recipiendi sacros Ordines (Forsitan hoc ius eis quidem debet recognosci, sed melius est ut haec peculiaris quaestio suo loco perpendatur).

Praecedens Consultor his dictis assentit, etiam quia verba § 1 canonis « nulla inter eos facta distinctione ratione stirpis, nationis, conditionis socialis vel sexus » sunt desumpta ex Const. *Lumen gentium*,

n. 32. Postulat tamen — et de hoc fere omnes Consultores sunt concordes — ut accurate perpendatur in respectivis locis novi Codicis utrum servandae sint condiciones hodie vigentes de legitimitate natalium. Mens ergo huius Coetus est ut tollantur vel ad minimum reducantur.

Ita expleta disceptatione de hoc canone, approbatur formula, quae est sequens:

« § 1. Obligationes et iura quae statuuntur in canonibus qui sequuntur omnibus propria sunt christifidelibus, sive sint clerici sive sint laici, nulla inter eos facta distinctione ratione stirpis, nationis, conditionis socialis vel sexus.

§ 2. Religiosi etiam iisdem subiiciuntur obligationibus iisdemque gaudent iuribus, nisi iuxta sacros canones aut proprias constitutiones quorundam iurium exercitio renuntiaverint aut ab adimplendis quibusdam obligationibus exempti sint ».

De aequalitate quoad dignitatem et actionem communem

Formula proposita est sequens:

« § 1. Christifideles omnes vinculo fraternitatis invicem devinciuntur et observare debent radicalem aequalitatem quae ratione baptismi inter eos omnes viget quoad dignitatem et actionem communem in Ecclesia.

§ 2. Fidelium ius est, ut in congruo habeantur honore et bona existimatione afficiantur neque bona fama indebito priventur ».

Est exc.mus Consultor qui expedire censem ut in § 1 addantur verba quibus innatur honores et privilegia, munera et officia non tollere vel limitare hanc fraternitatem fundamentalem quae inter omnes fideles viget.

Respondet Ill.mus quidam Consultor honores et privilegia afficere munera, non personas; quapropter opportunum sibi videtur, ut de ipsis non agatur in statuto personali christifidelium. Concordat vero cum Consultore qui supra, necessitatem affirmandi diversitatem munierum et officiorum in Ecclesia laedere non debere fundamentalem aequalitatem quoad dignitatem et actionem cunctis fidelibus communem.

Idem Consultor postulat, et accipitur, ut expungantur verba « ut in congruo habeantur honore ».

Sunt tres Consultores qui affirmant hic potius loquendum esse de reverentia sacris ministris debita.

Cum iis concordat quidam Consultor qui ait neminem intelligere posse ut « clericalismum » affirmationem talis necessariae reverentiae erga eos qui sunt Christi ministri.

Labore in hoc statuto versante, deliberationi adesse valuit Em.mus Commissionis Praeses, Card. Felici. Ipse, postquam in Consultorum mentem revocavit momentum studii in quod Coetus nunc incumbit circa fundamentalia iura et officia omnium christifidelium, communicavit hoc thema, una cum ceteris Principiis a nostra Commissione propositis, optime exceptum esse a Synodo Episcoporum.

Reassumpto studio huius schematis canonum, Card. Felici proponit ut hoc ius ad bonam famam modo positivo et in canone separato exponatur. Nostris enim diebus — ait Em.mus — peculiariter persentitur necessitas ut hoc ius fundamentale personae agnoscatur et sufficienter observetur.

Rev.mus Secretarius A., attentis animadversionibus, sequentes formulas canonum proponit, quae ab omnibus approbantur.

« § 1. Etsi in Ecclesia Christi diversa christifidelium sint officia et munera, veram in dignitate et actione communi aequalitatem, quae unius baptismatis ratione, inter eos viget, omnes agnosceret, atque fraternitatem qua hac ratione inter se devinciuntur observare tenentur.

§ 2. Illos tamen qui in Ecclesia ut sacrorum ministri constituantur, Christifideles speciali reverentia sectentur » (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 32; Const. *Gaudium et spes*, nn. 49, 61).

« Fidelibus ius est ut bona fama qua gaudent ab omnibus in honore habeatur; quapropter nemini licet illegitime eandem laedere » (cfr. IOANNES XIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*, 11 apr. 1963: *AAS* 55 (1963), p. 260; Decr. *Unitatis redintegratio*, n. 12; Const. *Gaudium et spes*, n. 26).

De propriae fidei professione

Haec est formula proposita:

« § 1. Christifideles iure gaudent erga omnes libere profitendi propriam fidem, sive publice sive privatim, atque obligatione tenentur vitandi quidquid fidem in discrimen vocare possit, iuxta normas Hierarchiae.

§ 2. Officio simul adstringuntur alios invitatos non cogendi ad fidem catholicam amplexandam ».

Rev.mus Secretarius A. manifestat tres esse ideas in canone contentas: obligatio vitandi quidquid fidei aduersetur, ius fidem profitendi et obligatio alios non cogendi ad credendum. Ultima haec idea forsitan minus apte inseritur in hunc canonem statuti.

Est qui suggerit ut id dicatur in canonibus de missionibus.

Em.mus Praeses animadvertisit non omnia vitari posse vel vitari debere quae periculum pro fide constituunt vel occasio sunt peccati infidelitatis. Forte expedit ut de hoc nihil dicatur vel, si dicatur, res apte specificetur.

Duo Consultores postulant ut expungatur verbum « privatum », quia fidei professio fit semper coram aliis.

Ideo Rev.mus Secretarius A. hanc formulam proponit, quae ab omnibus approbatur:

« Christifideles tenentur veram fidem, quam cognoscant, servandi atque iure gaudent et officio eandem coram aliis profitendi » (cfr. Decl. *Dignitatis humanae*, passim).

De ritu et de participatione in actionibus liturgicis

Formula proposita est sequens:

« § 1. Cuilibet christifideli ius est proprium ritum sequendi.

§ 2. Ad normam praescriptorum ecclesiasticae auctoritatis, officium et ius est universis christifidelibus active participandi in liturgicis celebrationibus ».

Cum de duabus diversis quaestionibus agatur — ritus enim alia elementa propria praeter liturgiam complectitur —, Rev.mus Secretarius A. expedire censet ut haec materia in duos canones dividatur.

Em.mus Praeses animadvertisit quoad § 2, expedire, sibi videtur, ut clausula « ad normam praescriptorum ecclesiasticae auctoritatis » non ponatur in initio paragraphi, sed in fine, sub formula: « iuxta praescripta a legitima auctoritate statuta ».

Formulae ergo quae approbantur sunt sequentes:

« Christifideles ritum qui ad normam canonis (98) est sibi proprius sequi possunt ac debent » (cfr. Decr. *Orientalium Ecclesiarum*, nn. 6 et 21; Decr. *Unitatis redintegratio*, n. 4).

« Universis christifidelibus officium et ius est active in celebracionibus liturgicis participandi, iuxta praescripta a legitima ecclesiastica auctoritate statuta » (cfr. Const. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 14, 29 et 79).

De vitae statu

Textus uti basis disceptationis propositus est:

« Christifideles iure gaudent immunitatis a qualibet coactione in proprio vitae statu eligendo ».

Innuitur ut dicatur « ab iniusta coactione » loco « a qualibet coactione ».

Obiicit tamen Rev.mus Secretarius A. hac in materia quamlibet coactionem esse iniustum.

Est Consultor qui in mentem revocat formulas prohibitivas in Codice iam adhibitas: « quovis modo, ob quamlibet rationem cogere » (can. 971), « quoquomodo cogant » (can. 2352).

Item alter Consultor notat affirmationem iuris personae ad statum vitae libere eligendum taxativam esse in Const. *Gaudium et spes* (nn. 26, 29 et 52).

Variis ergo formulis consideratis quae in casu adhiberi possunt approbatur expressio « a quacumque coactione ».

Textus canonis ita manet:

« Christifideles omnes iure gaudent ut, a quacumque coactione imunes, statum vitae libere elegant » (cfr. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*, 11 apr. 1963; *AAS* 55 (1963), p. 261; C.I.C., can. 214, 971, 2352, 1087 § 1; Const. *Gaudium et spes*, nn. 26, 29 et 52).

De iure ad bona spiritualia atque ad propriam specificam spiritualitatem

Formula quae proponitur est sequens:

« § 1. Christifideles ius habent ex spiritualibus Ecclesiae bonis, verbi Dei praesertim et Sacramentorum adiumenta a sacris ministris abundanter accipiendi ad vitam christianam plene ducendam, iuxta sacrorum canonum praescripta.

§ 2. Iure etiam gaudent accipiendi formationem doctrinalem et apostolicam uniuscuiusque capacitati et condicioni vitae aptatam.

§ 3. Integrum est cuilibet fideli libere colere specificam illam formam spiritualitatis quam maluerit, iuxta Ecclesiae doctrinam ».

Quidam Consultor, ad mentem Const. *Lumen gentium*, n. 37, proponit ut in § 1 includatur expressio « ad perfectionem caritatis ».

Duo Consultores concordant cum Consultore qui supra, et expedire existimant ut in § 1 clare appareat non de eo agi ut fidelibus praebeantur solummodo media necessaria ad salutem, sed omnia illa

media, doctrinalia et sacramentalia, quae requiruntur ut fideles attinere possint perfectionem vitae christiana ad quam omnes vocantur fideles ratione baptismi.

Idem postulant alii duo Consultores animadvertisentes in Ecclesia non adesse sanctitatem « primi gradus » (pro religiosis) et sanctitatem « secundi gradus » (pro saecularibus, sive clericis sive laicis). In Ecclesia enim « una sanctitas excolitur ab omnibus » (Const. *Lumen gentium*, n. 41), quae est perfectio caritatis, ad quam omnes fideles vocantur quamque unusquisque attingere debet in proprio statu ac condicione.

Rev.mi Secretarius A. cum socio notant, quoad § 3, exercitium iuris istius fieri posse tum singillatim tum in associationibus.

Exc.mus quidam Consultor postulat quoque, et propositio accipitur, ut in eadem § 3 mentio fiat expressa proprii status ac officii.

Demum animadvertisetur, quoad § 2, integrum canonem de hac materia iam adesse.

His omnibus pree oculis habitis, Rev.mus Secretarius A. sequentem textum proponit, qui ab omnibus approbatur:

« § 1. Cuncti christifideles, ut perfectam vitam christianam, ad quam ipso baptismate vocantur, ducere valeant, ius habent ex spiritualibus Ecclesiae bonis, verbi Dei praesertim et Sacramentorum adiumenta a sacris ministris accipiendi, iuxta sacrorum canonum praescripta.

§ 2. Integrum est cunctis christifidelibus ut, sive singuli sive in associationibus coniuncti, illam spiritualitatis formam, doctrinae Ecclesiae conformem, colant quam in conscientia proprio statui et muneri convenientem censem » (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 37; Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 19; Decr. *Presbyterorum ordinis*, n. 9; C.I.C., can. 682).

De apostolatu

Formula quae uti basis disceptationis proponitur est sequens:

« § 1. In omnes christifideles officium et ius recidit adlaborandi ut divinum salutis nuntium ab universis hominibus ubique terrarum agnoscatur et accipiatur.

§ 2. Onus et ius omnibus incumbit exercendi apostolatum secundum proprium statum et condicionem personalem.

§ 3. Praeterea, universi christifideles facultatem habent qua voluntur ut cum apostolatu Hierarchiae proprio immediate cooperentur atque, iuxta normas iuris, assumant officia ecclesiastica condicioni eorum conformia ».

Rev.mus Secretarius A. cum socio magis expedire censemt ut ideae duarum priorum §§ in unica § contineantur: agitur enim de omnium participatione in unica missione Ecclesiae, unusquisque vero pro parte sua.

Est exc.mus Consultor qui proponit ut dicatur « sub potestate Hierarchiae », vel « iuxta normas a Hierarchia traditas ».

Respondet Rev.mus Secretarius A. hoc necessarium non esse, quia actio omnium fidelium exerceri utique debet *in communione hierarchica*, scilicet iuxta Ecclesiae doctrinam, at vero non omnis actio apostolica fidelium ad effectum deducenda est *sub ductu* vel iuxta normas particulares Hierarchiae. Ius et onus exercendi apostolatum recipiuntur per baptismum: ideo, praeter apostolatus quos Hierarchia promoveat et dirigat, adesse quoque valent incepta apostolica fidelium characteris privati-personalis vel associati, quas ipsi libere moderentur. His dictis assentient plurimi Consultores.

Alter Consultor proponit, et propositio accipitur, ut § 3 expungatur quia non est necessaria: presbyteri enim et diaconi — cum saeculares tum religiosi — per ipsum suum ministerium sunt iam cooperatores Ordinis episcopal. Ideo, quod in hac § 3 dicitur applicari potest ad laicos, sed de hac eorum facultate iam agitur in statuto laicorum.

Ita deliberatione de hoc canone expleta, textus qui ab omnibus accipitur est:

« § 1. Cunctis fidelibus officium et ius est, unicuique pro parte quam in missione Ecclesiae habet, adlaborandi ut divinum salutis nuntium ab universis hominibus ubique terrarum cognoscatur et accipiatur.

§ 2. Omnibus etiam onus incumbit et ius est, unicuique secundum proprium statum et condicionem, ut, sive singuli sive consociati, apostolatum exerceant, in communione cum sacris Pastoribus » (cfr. quoad § 1: Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 3. Quoad § 2: Const. *Lumen gentium*, n. 33; Decr. *Apostolicam actuositatem*, nn. 20 et 24).

De iuribus relate ad institutionem

Textus propositus est sequens:

« § 1. Christifideles, quippe qui omnes ad incrementum Regni Christi in mundo cooperari debeant, ut doctrinam a Christo revealatam et ab Ecclesia declaratam et ipsi enuntiare atque, si opus sit, defendere valeant, obligatione tenentur et iure gaudent ad acquirendam eiusdem doctrinae cognitionem, propriae uniuscuiusque capacitati et condicioni aptatam.

§ 2. Facultate quoque gaudent ut, servatis a iure statutis, plenioram illam in scientiis sacris acquirant cognitionem, quae in Ecclesiasticis Universitatibus facultatibusve aut in scholis scientiarum religiosarum traduntur, ibidem lectiones frequentantes et gradus academicos consequentes.

§ 3. Qui sacris disciplinis studendis incumbunt, facultate gaudent, ut propriis singularum disciplinarum principiis ac methodo servatis, de quaestionibus ad scientias sacras vel cum sacris connexas pertinentibus libere inquisitionem instituant, utque conclusiones ad quas devenerint servatis iuris praescriptis evulgent.

§ 4. Item, servatis praescriptis quoad idoneitatem requisitam statutis, capaces sunt qui easdem scientias sacras doceant, ad normam sacrorum canonum ».

Animadvertisit ideas contentas in §§ 1, 2 et 4 inveniri nunc in can. 3 statuti laicorum. Censuerunt enim Consultores expedire ut haec dicantur expresse de laicis, quia ceteri fideles semper habuerunt pacificam possessionem talium iurum.

Concordant ergo omnes in eo quod statutum generale fidelium contineat canonem ubi enuntietur officium commune acquirendi necessariam formationem doctrinalem et facultas qua omnes gaudent incumbendi in pervestigationem scientiarum sacrarum (qui textus iam perpensus est et remissus fuerat ad hoc statutum omnium fidelium).

Textus ergo qui approbatur est sequens:

« § 1. *Singuli christifideles, ratione habita uniuscuiusque capacitatis, obligatione tenentur ad acquirendam doctrinae christianaे cognitionem, secundum requisita proprii status ac condicionis.*

§ 2. *Omnes christifideles, qui sacris disciplinis studendis incumbunt, facultate gaudent ut, propriis singularum disciplinarum principiis*

piis ac methodo servatis, de quaestionibus ad scientias sacras vel cum sacris connexas pertinentibus, libere inquisitionem instituant, utque conclusiones ad quas devenerint, debita cum prudentia atque necessario erga Ecclesiae Magisterium obsequio, cum aliis communicent » (cfr. quoad § 1: Decl. *Dignitatis humanae*, n. 14, 3º et 4º; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 29; Decr. *Ad gentes*, n. 26; Const. *Lumen gentium*, n. 35 in fine; Const. *Gaudium et spes*, n. 43, 2º in fine. Quoad § 2: Const. *Gaudium et spes*, n. 62, ult.; Decl. *Gravissimum educationis*, nn. 10 et 11; Decr. *Unitatis redintegratio*, n. 11, 3º).

De libertate mentem aperiendi

De hac materia discussus iam est textus.

Canon approbatus est sequens:

« § 1. *Fideles ius habent ut necessitates et optata sua, praesertim spiritualia, libere et fidenter sacris pastoribus patefaciant.*

§ 2. Item, pro scientia et competentia quibus pollent, facultatem, immo et aliquando officium, habent, ut sententiam suam de iis quae bonum Ecclesiae respiciunt in veracitate, cum caritate ac prudentia declarant, servata semper reverentia sacris pastoribus debita » (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 37; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 9; Const. *Gaudium et spes*, n. 92, 2º; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 6 ult.; Decr. *Inter mirifica*, n. 8).

De oboedientia

Formula quae proponitur est:

« § 1. Christifideles officio tenentur reverentiam exhibendi erga Ecclesiae ministros.

§ 2. Illa quae sacri Pastores tamquam magistri et rectores in Ecclesia docent et statuunt, fideles christiana oboedientia responsabili et voluntaria sectari tenentur ».

Expungitur § 1, quia de reverentia ad sacros Pastores iam actum est in canone praecedenti.

Manet ergo § 2, scilicet canon de oboedientia qui iam discussus et approbatus est:

« Christifideles illa quae sacri Pastores tamquam magistri et rectores in Ecclesia docent et statuunt, christiana oboedientia responsa-

bili sectari tenentur » (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 37; Decr. *Presbyterorum ordinis*, n. 9 in fine).

De iure postulandi rescripta

Haec est formula quae proponitur a Relatore:

« Ad normam sacerorum canonum, rescripta tum Sedis Apostolicae tum aliorum Ordinariorum impetrari libere possunt ab omnibus qui expresse non prohibentur ».

Exc.mus Consultor est qui proponit ut loco « rescripta » dicatur « privilegia ».

Obiicit tamen Rev.mus Secretarius A. verbum « rescripta » sibi servandum videri, quippe quod complectatur privilegia, dispensationes, gratias, etc.

Alter Consultor postulat, et propositio acceptatur, ut loco « tum Sedis Apostolicae tum aliorum Ordinariorum » dicatur « a competenti auctoritate ecclesiastica ». Ita includerentur etiam religiosi.

Tertius Consultor proponit ut, praeter hanc generalem enuntiationem iuris petitionis, addatur ius ad responsum obtainendum, et quidem in iure fundatum, sive responsum sit affirmativum sive sit negativum.

Respondet Rev.mus Secretarius A. hoc ius recognosci implicite per verbum « impetrare », quod simul significat postulare et obtainere.

Est rev.mus Consultor qui expedire censet ut recognitio talis iuris non pendeat a problemate interpretationis terminologicae, eo vel magis quod in iure civili quaestio de silentio administrativo per claras formulas generatim solvitur. Si quis anceps haereat expectans responsionem auctoritatis, ex eo oritur in subdito conscientiae angustia et debilitatio ipsius auctoritatis.

His assentit Rev.mus Secretarius A. qui tamen expedire censet ut de his melius agatur in canonibus de iure administrativo in Ecclesia. Facta suffragatione, quaestio remittitur ad Coetum Consultorum « De normis generalibus ».

Textus ergo canonis qui approbatur sic sonat:

« Rescripta a competenti auctoritate ecclesiastica impetrare possunt, servatis quidem de iure servandis, omnes christifideles, qui expresse iure non prohibentur » (cfr. C.I.C., can. 36).

De iure associationis

Formula proposita est sequens:

« Debita cum auctoritate ecclesiastica relatione servata, universis christifidelibus ius est condendi et moderandi associationes iisque nomen dandi ».

Est exc.mus Consultor qui dubitat utrum ius associationis, quod in Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 19, laicis agnoscitur extendi possit necne ad clericos.

Rev.mus Secretarius A. cum socio dicunt hanc quaestionem iam agitatem fuisse perdurante disceptatione Decr. *Presbyterorum ordinis*, n. 8, in Concilio. Commissio competens, in expensione quorumdam modorum qui huius iuris naturalis exercitium Presbyteris denegabant, hoc responsum dedit, a Congregatione Generali approbatum: « Non potest denegari Presbyteris id quod laicis attenta dignitate personae humanae Concilium declaravit consentaneum » (His dictis Exc.mus Consultor qui supra assentit).

Demum Rev.mus Secretarius A. proponit, et propositio accipitur, ut in fine textus addatur mentio circa aspectum qui implicite iam continetur in ipso iure associationis: « itemque conventus habere ad fines spirituales in communi obtinendos ». Dicitur « ad fines spirituales », nam haec determinatio videtur necessaria, sive quoad conventus sive quoad associationes, quia si tales fines non habeant conventus vel associationes, iure civili penitus ordinantur.

Textus ergo ita manet approbatus:

« Debita cum auctoritate relatione servata, universis christifidelibus ius est condere et moderari consociationes iisque nomen dare, itemque conventus habere ad fines spirituales in communi persequendos » (cfr. inter alia: LEO XIII, Litt. Encycl. *Rerum novarum*, 15 maii 1891: Acta Leonis XIII, vol. 11, pp. 97 ss.; PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo anno*, 15 maii 1931: *AAS* 23 (1931), p. 177 ss.; IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*, 11 apr. 1963: *AAS* 55 (1963), p. 263; Conc. Vat. II, Const. *Gaudium et spes*, n. 68; Decr. *Presbyterorum ordinis*, n. 8; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 19).

De commercio epistolari

Proponitur sequens formula:

« Christifideles ius habent ut secretum commercii epistolaris ad mussim servetur ».

Quidam Consultor existimat necessarium non esse ut tale ius in Codice affirmetur. Solummodo enim qui in Ecclesia potestate iurisdictionis pollent hoc ius violare possent, at vero huiusmodi potestas non est illimitata. Habet enim proprium ambitum exercitii, qui sane non complectitur facultatem violandi hoc secretum epistolare.

Respondet vero Rev.mus Secretarius A. hoc ius non semper in praxi servari: adsunt e.g. parochi qui inspiciunt litteras vicariorum, etc. Alii Consultores his assentiunt et stant pro inclusione explicita talis iuris (Consultor suam obiectionem revocat).

Rev.mus Secretarius A. proponit in fine ut non solum ius affirmetur, sed etiam correlativa obligatio; censet vero expungendam esse expressionem « adamussim », quippe quae non videatur necessaria.

Huiusmodi propositiones recipiuntur, et ideo textus ita manet approbatus:

« Christifideles officium et ius habent servandi secretum commercii epistolaris ».

De cooperatione fidelium in opera ecclesiastica

Statutum iam est ut huc trasferatur textus approbatus perdurante examine statuti laicorum.

Textus ergo ita sonat:

« § 1. Fideles sciant sua esse Ecclesiae opera, ideoque eadem precibus et sacrificiis, atque pro propria idoneitate inceptis quoque apostolicis sustineant.

§ 2. Officio tenentur, ratione habita uniuscuiusque facultatum et status familiae, curandi ut Ecclesiae praesto sint ea quae ad cultum divinum, ad honestam clericorum aliorumque ministrorum sustentationem et ad alias fines eidem Ecclesiae proprios necessaria sunt media » (cfr. Decr. *Ad gentes*, n. 36; Decr. *Presbyterorum ordinis*, nn. 17, 20 et 21; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 21; C.I.C., can. 1496).

De iurium subiectivorum protectione

Textus qui proponitur in initio disceptationis est sequens:

« § 1. Ius est cuilibet fideli defendendi propria iura subiectiva, via sive administrativa sive iudiciali.

§ 2. Iure quoque omnes pollent coram competenti ecclesiastica auctoritate recurrendi, via sive administrativa sive iudiciali, adversus decisiones et praescripta quae propria iura personalia laedant.

§ 3. In dubio tamen, iurium defensio iudicialis praesumitur ».

Rev.mus Secretarius A. proponit, ad repetitiones vitandas, ut in unica paragrapho dicantur ea quae nunc in §§ 1 et 2 continentur.

Est Consultor qui postulat ut in textu clare agnoscatur possibilitas recurrendi, si id necessarium fuerit, adversus decisiones Hierarchiae, quia contingere etiam potest quod, propter hominum fallibilitatem, quaedam decisiones sacrorum Pastorum laedant legitima iura personarum physicarum vel moralium in Ecclesia.

Alter vero Consultor postulat ut dicatur solummodo exercitium iuris recurrendi fieri debere « ad ornam iuris »; aliis vero locis Codicis determinabitur quae sit via singulis in casibus sequenda.

Tertius Consultor animadvertisit recursum, sive interponatur via administrativa sive via iudiciali, fieri semper debere ad normam iuris. Ideo expedit ut affirmetur ius recurrendi exerceri posse utraque via, ne quis existimet heic agi solummodo de recursu administrativo.

His omnibus perpensis, Rev.mus Secretarius A. sequentem proponit formulam quae ab omnibus approbatur:

« § 1. Ius est cuilibet fidei iura quae sua sunt tuendi et defendendi; quod ut facere valeat, iure gaudet recurrendi ad competentem auctoritatem ecclesiasticam, et quidem sive via iudicaria sive via administrativa, ad normam iuris.

§ 2. In dubio utrum fideli concedatur recursus per viam iudicialem an per viam administrativam, praesumitur recursum esse iudicium ».

De iuribus in re processuali ac poenali

Textus propositus est sequens:

« § 1. Universi christifideles iure gaudent recurrendi ad ecclesiasticam auctoritatem, ad normam sacrorum canonum, ut suorum iurium protectionem obtineant.

§ 2. Christifidelibus ius est ut iudicentur a competentibus tribunalibus, iuxta normas processuales ad normam iuris statutas.

§ 3. Ob primatum Romani Pontificis, integrum est cuilibet fidelis in toto orbe catholico causam suam sive contentiosam sive criminalem, in quovis iudicij gradu et in quovis litis statu, cognoscendam ad Sanctam Sedem deferre vel apud eandem introducere.

§ 4. Christifideles iure gaudent ut audiantur debitoque patrocinio fruantur in processibus sive iudicialibus sive administrativis quibus afficiantur.

§ 5. Iure omnes pollent cognoscendi nomen denuntiantis, si adversus se accusatio fiat coram ecclesiastica auctoritate.

§ 6. Christifidelibus ius est cognoscendi rationes quibus innititur decisio adversus se ab ecclesiastica auctoritate lata.

§ 7. Nemo puniri potest, nisi praevie poena determinata propter delictum typificatum in norma promulgata statuta fuerit ».

Rev.mus Secretarius A. animadvertit § 1 superfluam esse, quia de hac re iam agitur in canone praecedenti. Expunctio huius § 1 approbatur.

Unus e Consultoribus proponit, et propositio recipitur ut affirmetur ius fidelium libere eligendi proprium patronum in processibus. Patronus solummodo « ex officio » designetur si fidelis huius iuris exercitio libere renuntiaverit.

Alter Consultor dubitat de opportunitate eorum quae continentur in § 5.

Respondet Rev.mus Secretarius A. talem normam inniti in Sacram Scripturam (*Mt* 18, 15-17).

Exc.mus quidam Consultor obiicit talem textum referentiam facere ad correptionem fraternalm, sed respondet Rev.mus Secretarius A. per processum praecise intendi correptionem, si ei locus adsit: agitur ideo de principio non solum ascetico sed etiam iuridico.

Alter Consultor ait fundamentum talis principii residere in iure naturali prius quam in Sacra Scriptura. Est principium agnatum in legislationibus civilibus, quae generatim civibus recognoscunt ius cognoscendi non solum materiam accusationis sed etiam nomen accusatoris. Ceterum experientia docet occultam delationem (saltem anonymam relate ad accusatum) fontem esse calumniarum et iniistarum laesonum iuris ad bonam famam tum personarum physicarum tum personarum moralium in Ecclesia. Exemplum esse potest casus mulierum quae confessarium accusant delicti sollicitationis, cum re vera ipsae sollicitavissent et reiectae fuerint.

Proponit Tertius Consultor ut aliquid addatur adversus calumniatores, in canone iam approbato circa ius ad bonam famam (agitur tamen de re poenali, quapropter quaestio haec remittitur ad opportunum locum Codicis).

In fine Secretarius A. proponit et approbatur haec formula: « Iure omnes pollent cognoscendi nomen denuntiantis si adversus se accusatio fiat coram ecclesiastica auctoritate ».

Nulla fit animadversio circa § 6, sed statuit ut claritatis causa alio modo redigatur.

Quartus Consultor animadvertisit abrogatum iri § 1 can. 2222, si norma § 7 canonis de quo disceptatur approbetur. Can. 2222 statuit possibilitatem congruis poenis puniendi transgressionem legum quae nullam sanctionem appositam habeant. Ipse Rev.mus Consultor manifestat se stare pro abrogatione talis normae.

Rev.mus Secretarius A. informat Consultores Coetus « De delictis et poenis » in diversas abire sententias quoad hanc quaestionem. Postulat ergo Rev.mus Secretarius A. suffragationem membrorum huius Coetus studii quoad § 7 propositi canonis.

Facta suffragatione, haec § 7 unanimiter approbatur sed sub formula: « Nemo puniri potest nisi ob delicta iure definita, quae poena eodem iure determinata plectuntur ».

Textus ergo totius canonis ita approbatur:

« § 1. Christifideles ius habent ut semper iudicentur a Tribunali quod in causa de qua agitur, ad normam iuris est competens, atque servato modo eodem iure definito.

§ 2. Attamen, ob primatum Summi Pontificis, integrum est cuilibet fideli in toto orbe catholico causam suam sive contentiosam sive criminalem, in quovis iudicij gradu et in quovis litis statu, cognoscendam ad Apostolicam Sedem deferre vel apud eandem introducere.

§ 3. Fideles qui sive in processibus iudiciariis sive in causis administrativis sunt partes, ius habent ut audiantur atque ut adiutorio gaudeant patroni libere ab ipsis electi aut, deficiente electione, ab officio ipsis dati.

§ 4. Fideles, contra quos sive via iudicaria sive via administrativa proceditur ratione denuntiationis contra eos apud auctoritatem ecclesiasticam factae, ius habent ut sibi nomen denuntiantis communicetur.

§ 5. Christifideles contra quos ab auctoritate ecclesiastica fertur sententia aut decretum, ius habent cognoscendi rationes quibus decisione innititur.

§ 6. Nemo puniri potest nisi ob delicta iure definita, quae poena eodem iure determinata plectuntur » (cfr. quoad § 2: C.I.C., can. 1569 § 1).

De officiis erga aliorum iura

Formulae duorum canonum qui proponuntur sunt sequentes:

« In exercendis propriis iuribus atque obligationibus adimplendis, fideles omnes obligatione tenentur agnoscendi aliorum legitima iura et rationem habendi boni communis Ecclesiae ».

« § 1. Christifideles officio tenentur agnoscendi universis hominibus iura omnia quae ex humana dignitate ac divina ad salutem vocatione derivantur.

§ 2. Officio quoque adstringuntur tuendi ac defendendi, etiam per rectum usum iurium et capacitatum quibus in societate civili gaudent, iura Ecclesiae, et in specie ut Ecclesiae ius ad propriae missionis adimplationem ab omnibus agnoscatur ».

Est Consultor qui censet secundam formulam iam continere quod in prima formula dicitur, qua de re exoptat ut fiat unicus canon. Idem postulant alii Consultores, et propositio accipitur.

Duo Consultores expostulant ut aliquid dicatur de abstensione fideliuum a participandis vel quoquomodo sustentandis actionibus, conventionibus vel associationibus quae missione Ecclesiae detimento esse possint. Propositio a ceteris Consultoribus recipitur.

His omnibus consideratis, Rev.mus Secretarius A. proponit sequentem textum, qui approbatur:

« § 1. Christifideles obligatione tenentur servandi ac promovendi iura quae hominibus ratione dignitatis humanae aut divinae ad salutem vocationis competunt. Item servare debent iura quae iisdem in societatibus civilibus legitime agnoscantur.

§ 2. Officio quoque adstringuntur tuendi et defendendi, adhibitis etiam mediis legitimis quibus in ordine civili pollent, libertatem qua Ecclesia gaudet ut missionem divinitus sibi concreditam adimplere va-

leat » (cfr. quoad § 1: Decl. *Dignitatis humanae*, nn. 1, 6 et 14; Const. *Gaudium et spes*, nn. 26, 29, 42, 65, 68, 76; Decl. *Gravissimum educationis*, prooem, et n. 1. Quoad § 2: Decl. *Dignitatis humanae*, n. 14).

De operibus caritatis et assistentiae socialis

Quidam Rev.mus Consultor sequentem proponit formulam:

« § 1. Misericordia erga egenos et infirmos atque sic dicta opera caritativa et mutui auxilii ad humanas necessitates sublevandas, praecipuo in honore habentur ab Ecclesia.

§ 2. Omnes christifideles magni faciant et pro viribus adiuvent opera caritatis et incepta assistentiae socialis, quibus efficax auxilium singulis hominibus et populis in necessitatibus versantibus fertur, cooperantibus in hoc cum omnibus hominibus bona voluntatis.

§ 3. In hoc caritatis munere obeundo, tali divino ducantur sensu, ut in proximo dignitas et libertas personae maxima humanitate respi ciatur, a quocumque utilitatis vel dominationis quaestu abstineant, atque imaginem Dei ad quam creatus est considerare non desinant ».

Obiicit Rev.mus Secretarius A. ideas hoc in textu expositas non esse materiam canonica. Agitur enim potius de officiis ordinis moralis, quae quidem Ecclesia docet per documenta doctrinalia, haud vero urget per leges canonicas.

Idem Consultor respondet id quod proponitur respondere ad prae cissas indicationes Magisterii, et periculum adesse ne satis ad effectum deducantur nisi canonice urgeantur. Etiam in vigenti Codice — e.g. in can. 1514 circa honestam remunerationem quam parochi praebere debent operariis — inter fontes adhibentur documenta Magisterii (in can. 1514, Litt. Encycl. *Rerum novarum*).

Alter Consultor censet canonice urgeri posse opera saltem caritatis, de quibus in § 2 formulae propositae.

Rev.mus Secretarius A. licet manifestet sibi non placere inclusio nem novi huius canonis in statuto omnium fidelium, sequentem proponit textum, qui a maioriitate recipitur:

« Omnes christifideles magni faciant doctrinam Ecclesiae socialem atque operibus pietatis et caritatis christiana auxilium praestent, iis praesertim quibus efficax praebetur adiumentum hominibus et populis qui in necessitate versantur » (cfr. Const. *Gaudium et spes*, nn. 42 b, 88 b; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 8 c et f).

De officio fovendi vocationes

Formula quam Rev.mus quidam Consultor proponit est:

« Sacerdotales ac religiosas vocationes fovendi officium ad totam christianam communitatatem pertinet quae imprimis vita plene christiana id provehere debet; maxime vero in id conferunt familiae, paroeciae atque ceteri fidelium congressus ».

Sed tres Consultores animadvertisunt heic non agi de obligatione uniuscuiusque fidelis, sed de obligatione totius communitatis fidelium.

Proponitur ergo, et approbat, ut de hac re sermo alibi fiat, e.g. in loco Codicis ubi inveniantur canones de Magisterio ecclesiastico.

De officio fovendi oecumenismum

Textus a quodam Consultore propositus est sequens:

« § 1. Catholicae Ecclesiae filii solliciti sint in actione oecumenica cum coeteris christianis sollerter promovenda. Unusquisque fidelium illa afficiatur sive in vita christiana quotidiana sive in scientificis investigationibus peragendis.

§ 2. Iidem hortantur ut a quavis levitate vel imprudenti zelo se abstineant quae vero progressui unitatis nocere possint.

§ 3. Sub ductu Pastorum Ecclesiae, humanitate ac caritate Christi compulsi, ampliorem cum acatholicis foveant in quibusvis officiis ad bonum commune, ab omni recta conscientia postulatis ».

Rev.mus Secretarius A. negat characterem iuridicum normae hic propositae, saltem uti in redactione exhibita ostenditur. Actio oecumenica — ait Rev.mus Secretarius A. — bona quidem est, at vero dici nequit unumquemque fidelem iuridico officio teneri ad fovendum oecumenismum.

Alter Consultor suggerit ut haec quaestio potius exponatur in ordine ad bonum commune seu ad pacificas mutuas relationes inter christianos.

Duo adhuc Consultores animadvertisunt quoque id quod in § 2 continetur magis pertinere ad Directoria oecumenica.

Rev.mus Secretarius A. tandem proponit sequentem textum, qui ab omnibus recipitur:

« Christifideles, unusquisque pro sua competentia et condicione, tenentur ad fovendam pacem et unionem inter omnes christianos, attentis normis a competenti auctoritate ecclesiastica statutis » (cfr.

Decr. *Unitatis redintegratio*, nn. 4, b et c; 5 in.; 9, 18, 24 a; Const. *Gaudium et spes*, nn. 88, c; 92, c; Decl. *Nostra aetate*, nn. 2, c; 5, a; Decr. *Ad gentes*, nn. 15 in med., 41, f; Decr. *Apostolicam actusositatem*, nn. 14, b; 27).

Ita concluditur examen statuti iuridici generalis omnium fidelium. Ordo vero sequendus in expositione successiva canonum deinceps recensetur.

III

DE STATUTO IURIDICO CATECHUMENORUM

Exc.mus quidam Consultor hanc exhibet propositionem: « Cum in Decreto de activitate missionali Ecclesiae mandatum pro revisione Codicis edictum fuerit dicens: « Status tandem iuridicus catechumenorum in novo Codice clare ponatur. Iam enim cum Ecclesia coniuncti sunt, iam de domo sunt Christi et non raro iam vitam agunt fidei, spei et caritatis » (n. 14), nos in fine de statu iuridico omnium fidelium aliquid de statu iuridico catechumenorum dicere debemus. Propono igitur aliquem textum pro nostra discussione:

« § 1. Catechumenis per confessionem fidei christianaee et desiderium baptismi cum Ecclesia aliqua ratione iam coniunctis, facultas conceditur ut debito modo praeparati ad baptismum admittantur, insuper ut ad instructionem christianam atque ad cultum liturgicum sibi congruum accedere valeant.

§ 2. Catechumenis conceditur aequiparatio ad christifideles in celebrazione liturgica matrimonii et funerum ».

Rev.mus Secretarius A. ait catechumenos non esse fideles qui possint in eodem loco iuridico ac ceteri christifideles — in Ecclesiam iam plene incorporati per baptismum — ad quos se refert statutum nuper confectum.

Relate ad § 1 canonis propositi quidam Consultor obiicit ibi non agi de facultate quadam a legislatore concessa, sed de vero iure eis agnito. Ius enim ab baptismum habent quidem omnes homines rite dispositi.

Contra, Rev.mus Secretarius A. censem eam esse solummodo facultatem iure divino innixam haud vero ius canonicum.

Cum autem omnes Consultores in eo convenient quod statutum categumenorum differre debet a statuto fidelium, denuo approbatur decisio, iam in praecedenti Sessione Coetus statuta remittendi nempe hanc quaestionem ad Coetum Consultorum qui in studium incumbit Legis Fundamentalis Ecclesiae.

IV DE FIDELIUM ASSOCIATIONIBUS

Cum tempus non suppetat ad redigendum schema canonum de fidelium associationibus in genere (circa quod thema Consultores suum votum iam tradiderunt), proponit Rev.mus Secretarius A. ut perpendantur principia generalia quibus legislatio hac de re condenda innitatur.

Tamquam basis pro disceptatione relatio sumitur a Rev.mo quodam Consultore apparata, postulantibus nonnullis aliis Consultoribus. Prae oculis etiam habeantur vota a ceteris Consultoribus confesta, necnon schema « De fidelium associationibus », a Commissione « De disciplina cleri et populi christiani » apparatum perdurante periodo praeparatoria Concilii.

Concordant omnes Consultores in eo quod doctrina ecclesiologica Concilii Vaticani II novas divitias attulit circa iuridicas perspectivas thematicis de quo agitur. Hoc est tam verum, ut hodie ne intelligi quidem queat simplex emendatio canonum Partis III, Libri II vigentis Codicis, sed necessaria sit profunda recognitio huius legislationis.

Hodie enim nemo est qui non videat principium socialitatis in Ecclesia fundamentum obtinere super duo praecipua principia doctrinalia: ius naturale associationis, quod habetur ut pars integralis dignitatis humanae (cfr. Const. *Gaudium et spes*, nn. 68, 73 et 75); Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 19; Decl. *Dignitatis humanae*, n. 1) et ius omnium fidelium activam partem agendi in missione Ecclesiae, quod consideratur ut pars fundamentalis dignitatis baptismalis christiani (cfr Const. *Lumen gentium*, n. 33; Decr. *Apostolicam actuositatem*, nn. 1, 2, 3, 23 et 25; Decr. *Presbyterorum ordinis*, n. 9).

Attentis his rationibus atque etiam convenientia pastorali impellendi apostolatum associativum in Ecclesia, bene intelligitur cur Concilium fidelibus recognoscat realem possessionem et legitimum exercitium iuris liberae associationis (cfr. Decr. *Apostolicam actuositatem*,

n. 19; Decr. *Presbyterorum ordinis*, n. 8, cum respectivis responsionibus Commissionum Conciliarium ad modos propositos).

His omnibus praemissis, quaestio ponitur ab aliquo Exc.mo Consultore utrum agendum sit de associationibus fidelium, sive laicorum sive clericorum, an ex una parte de associationibus tantum laicorum, ex altera vero de clericorum associationibus. Ipse Exc.mus, cui assentit etiam alter socius, utile esse censemt ut in aliquo titulo vel articulo speciali agatur de associationibus pro solis laicis.

Duo Consultores animadvertisunt normas generales de fidelium associationibus quocumque in casu praemittendas esse. Praeterea ad sunt perplures associationes fidelium quibus nomen dare possunt sive clerici sive laici.

Rev.mi Secretarius A. alter Consultor manifestant quoque necessitatem derelinquendi vigentem nunc divisionem associationum ratione finium. Haec enim divisio omnino limitata est ac praecaria, uti ex iurisprudentia etiam appareat. Aptius igitur dividantur associationes attento imprimis regimine legali quo diversae earum species uti possunt. Hoc sub aspectu duae magnae associationum species agnoscendae sunt: Associationes publicae sive ecclesiasticae et Associationes privatae, quae ad nostra usque tempora laicales appellari consueverunt.

Circa haec omnia omnes consentiunt Consultores, et approbatur sequens ordo systematicus in redigendis canonum schematibus:

- 1) Canones de iure associationis deque fidelium Associationibus in genere;
- 2) Canones de Associationibus ecclesiasticis;
- 3) Canones de Associationibus privatis;
- 4) Canones de Associationibus laicorum;
- 5) Canones de Associationibus clericorum.

Quoad distinctionem Associationes ecclesiasticas inter et Associationes privatas, haec a Rev.mo Secretario A. proponuntur et a Consultoribus approbantur:

A) Associationes ecclesiasticae sunt quae ab ipsa Hierarchia eriguntur, uti corporationes iuris publici. Hierarchia eis tribuit missionem canonicam quatenus fines huiusmodi Associationum praesupponunt participationem in missione pastorali Hierarchiae propria. Hac de causa tales Associationes, quae nomine Hierarchiae agunt, in omnibus subsunt sacrorum Pastorum moderamini. Earum praeterea bona sunt bona ecclesiastica.

B) Associationes privatae sunt quae libere a fidelibus constituuntur et a Hierarchia diversis modis explicite laudantur vel recognoscuntur, etiam tributa eisdem personalitate morali, sive ex ipso iuris praescripto sive ex formalí decreto. Haec tamen personalitas in Ecclesia non mutat naturam privatam talium Associationum. Eae Associationes, ad fines spirituales quidem et apostolicos constitutae quos fideles ratione baptismi prosequi tenentur, missionem canonicam a Hierarchia non recipiunt, ideoque Hierarchiae nomine agere non valent. Propriis reguntur statutis, ab ecclesiastica auctoritate recognitis, atque generali subsunt iurisdictioni sacrorum Pastorum, eodem tamen modo ac personae singulae in Ecclesia. Earum bona non fuent ecclesiastica, sed iure civili reguntur.

Praeter haec principia alia quoque a Consultoribus approbata sunt, ut de ipsis ratio habeatur in redigendis canonum schematibus, scilicet: 1) perpendantur normae Decr. *Apostolicam actuositatem*, et Decr. *Presbyterorum Ordinis*; 2) Associationes habere possunt regimen dioecesanum, interdioecesanum, nationale et universale; 3) quoties de clericorum associationibus agatur, salva semper sit perfecta adimpletio officiorum clericalium; 4) necessarium non aestimatur indicare Episcopum semper nomina cognoscere debere clericorum qui associationibus suum dent nomen.

In proxima sessione examini Consultorum submittetur schema canonum quos Rev.mus Secretarius redigit p[re] oculis habitis principiis de quibus deliberatum iam est.

Ita ergo absolvitur haec 2^a sessio Coetus studii « De laicis ».

Romae, die 21 octobris 1967.

A. DEL PORTILLO, *Relator*

APPENDIX

STATUTUM IURIDICUM LAICORUM

Can. 1

« In canonibus huius Codicis, nomine laicorum intelleguntur omnes christifideles, iis exceptis qui, ordine sacro recepto, ad ministerium divinum sunt deputati aut qui in Instituto ab Ecclesia sancito statum religiosum assumpserunt; christifideles scilicet, sive viri sive mulieres, qui in saeculo viventes et vitae saecularis consortes missionem Ecclesiae salvificam pro parte sua, etiam canonibus determinanda, exercent, videlicet vitam divinam Ecclesiae participantes, atque fidem quam a Deo per Ecclesiam receperunt verbo et opere confitentes ac propagantes, praesertim in rebus temporalibus gerendis et in muneribus saecularibus exercendis Christi testimonium reddentes » (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 31; Decr. *Apostolicam actuositatem*, nn. 2 et 7; Const. *Gaudium et spes*, n. 43).

Can. 2

« Ius est laicis ut ipsis agnoscatur ea in rebus civitatis terrenae libertas quae omnibus competit, iuxta legem divinam ab Ecclesiae magisterio declaratam » (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 37; Const. *Gaudium et spes*, n. 43; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 9; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 24).

Can. 3

« § 1. Laici, ut secundum doctrinam a Christo revelatam et ab Ecclesia declaratam vivere valeant, eamque et ipsi enuntiare atque, si opus sit, defendere possint, obligatione tenentur et iure gaudent ad acquirendam eiusdem doctrinae cognitionem, propriae uniuscuiusque capacitati et condicioni aptatam. Quare curare debent ut cognitionem habeant doctrinae quam tota Ecclesia profitetur et quae a Conciliis oecumenicis, a Summis Pontificibus et a propriae Ecclesiae particulatis Pastoribus traditur.

§ 2. Facultate quoque gaudent ut, servatis a iure statutis, plenioram illam in scientiis sacris acquirant cognitionem, quae in Ecclesiasti-

cis Universitatibus facultatibusve aut in scholis scientiarum religiosarum traduntur, ibidem lectiones frequentantes et gradus academicos consequentes.

§ 3. Item, servatis praescriptis quoad idoneitatem requisitam statutis, habiles sunt qui missionem docendi scientias sacras a legitima auctoritate ecclesiastica recipient » (cfr., quoad § 1: Decl. *Dignitatis humanae*, nn. 14, 3º et 4º; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 29; Decr. *Ad gentes*, n. 26; Const. *Lumen gentium*, n. 35 in fine; Const. *Gaudium et spes*, n. 43, 2º in fine. Quoad § 2: Const. *Gaudium et spes*, n. 62, 7º; Decl. *Gravissimum educationis*, n. 10, 2º. Quoad § 3: Const. *Gaudium et spes*, n. 62, 7º; Decr. *Ad gentes*, n. 41, 5º).

Can. 4

« § 1. Laici, quippe qui uti omnes christifideles ad apostolatum, i.e. ad participationem missionis salvificae Ecclesiae a Deo per baptisum deputentur, generali obligatione tenentur, sive singuli sive in associationibus coniuncti, adlaborandi ut divinum salutis nuntium ab universis hominibus ubique terrarum cognoscatur et accipiatur; quae obligatio eo vel magis eos urget iis in adjunctis in quibus nonnisi per ipsos Evangelium audire et Christum cognoscere homines possunt.

§ 2. Peculiari adstringuntur officio rerum temporalium ordinem spiritu evangelico imbuendi atque perficiendi.

§ 3. Praeterea, habiles sunt qui vocentur ut diversis modis cum apostolatu Hierarchiae immediate cooperentur » (cfr., quoad § 1: Const. *Lumen gentium*, n. 33; Decr. *Ad gentes*, nn. 36, 1º et 21; Decr. *Apostolicam actuositatem*, nn. 2 et 3. Quoad § 2: Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 3; Const. *Gaudium et spes*, n. 43. Quoad § 3: Const. *Lumen gentium*, n. 33, 3º; Decr. *Apostolicam actuositatem*, nn. 10 et 24, 6º).

Can. 5

« § 1. Laici, debita scientia, experientia et virtute praestantes, habiles sunt qui tamquam periti aut consiliarii ab Ecclesiae Pastoribus audiantur.

§ 2. Habiles etiam sunt qui idonei reperiantur ut ad quaedam munera ecclesiastica a sacris Pastoribus adsumantur, in specie ut in consiliis paroecialibus, dioecesanis, nationalibus, regionalibus aut universa-

libus partem habeant, ad normam iuris universalis aut particularis » (cfr., quoad § 1: Const. *Lumen gentium*, n. 33. Quoad § 2: Const. *Lumen gentium*, n. 33, 3º; Decr. *Christus Dominus*, n. 10; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 24, 7º).

Can. 6

« § 1. Ipsius baptismatis ratione, laici, sicut omnes christifideles, officium et ius habent ut plene, conscientie et actuose in celebrationibus liturgicis participant, atque facultate gaudent ut muneribus ministrantis, lectoris, commentatoris, cantoris, aliis certis ministeriis, ad normam iuris, fungantur.

§ 2. Ubi Ecclesiae necessitas aut utilitas id suadeat, possunt etiam, deficientibus sacris ministris, quaedam eorundem officia supplere, vide-licet doctrinam tradere, precibus praesesse, baptismum conferre atque Sacram Communionem distribuere, iuxta iuris universalis et particularis praescripta » (cfr., quoad § 1: Const. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 14, 29, 79 in fine. Quoad § 2: Const. *Lumen gentium*, n. 35 ult.; Decr. *Ad gentes*, n. 17 ult.; Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 35, 4º).

Can. 7

« Laici, sive coelibes sive matrimonio iuncti qui, aut permanenter aut pro tempore speciali Ecclesiae servitio addicuntur, obligatione tenentur ut aptam acquirant formationem ad munus suum debite impleendum requisitam, utque hoc munus conscientie, impense et diligenter adimplent; ius habent ad honestam remunerationem eorum conditioni aptatam, qua decenter, servatis quoque iuris civilis praescriptis, necessitatibus propriis ac familiae providere valeant, itemque ius ut suaे praevidentiae ac praecaventiae sociali et adsistentiae sanitariae quam dicunt debite provideatur » (cfr. Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 22; Decr. *Ad gentes*, n. 17).

STATUTUM IURIDICUM OMNIUM CHRISTIFIDELIUM

Can. 1

Nomine christifidelium intelleguntur homines qui, utpote baptismati Christo incorporati, in Populum Dei sunt constituti, quique hac ratione, de munere Christi sacerdotali, propheticō et regali pro parte sua participes facti, unusquisque secundum propriū statum, missionem quam Deus Ecclesiae in mundo adimplendam concredidit exercēt (cfr. Const. *Lumen gentium*, nn. 11, 12, 13).

Can. 2

§ 1. Obligationes et iura quae statuuntur in canonibus qui sequuntur omnibus propria sunt christifidelibus, sive sint clerici sive sint laici, nulla inter eos facta distinctione ratione stirpis, nationis, conditionis socialis vel sexus.

§ 2. Religiosi etiam iisdem subiiciuntur obligationibus iisdemque gaudent iuribus, nisi iuxta sacros canones aut proprias constitutiones quorundam iurium exercitio renuntiaverint aut ab adimplendis quibusdam obligationibus exempti sint.

Can. 3

§ 1. Etsi in Ecclesia Christi diversa christifidelium sint officia et munera, veram in dignitate et actione communi aequalitatem, quae unius baptismatis ratione, inter eos viget, omnes agnoscere, atque fraternitatem qua hac ratione inter se devinciuntur observare tenentur.

§ 2. Illos tamen qui in Ecclesia ut sacrorum ministri constituuntur, fideles speciali reverentia sectentur (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 32; Const. *Gaudium et spes*, nn. 49 et 61).

Can. 4

Christifideles, unusquisque pro sua competentia et condicione, tenentur ad fovendam pacem et unionem inter omnes christianos, attentis normis a competenti auctoritate ecclesiastica statutis (cfr. Decr. *Unitatis redintegratio*, nn. 4, b, c; 5 initio; 9; 18; 24 a; Const. *Gaudium*

et spes, nn. 88, c; 92, c; Decl. *Nostra aetate*, nn. 2, c; 5, a; Decr. *Ad gentes*, nn. 15 (in medio); 41, f; Decr. *Apostolicam actuositatem*, nn. 14, b; 27).

Can. 5

Christifideles obligatione tenentur veram fidem, quam cognoscant, servandi atque iure gaudent et officio eandem coram aliis profitendi (cfr. Decl. *Dignitatis humanae*, passim).

Can. 6

§ 1. Singuli christifideles, ratione habita uniuscuiusque capacitatris, obligatione tenentur ad acquirendam doctrinae christianaee cognitionem, secundum requisita proprii status ac condicionis.

§ 2. Omnes christifideles, qui sacris disciplinis studendis incumbunt, facultate gaudent ut, propriis singularum disciplinarum principiis ac methodo servatis, de quaestionibus ad scientias sacras vel cum sacris connexas pertinentibus, libere inquisitionem instituant, utque conclusiones ad quas deveniant, debita cum prudentia atque necessario erga Ecclesiae Magisterium obsequio, cum aliis communicent (cfr., quoad § 1: Decl. *Dignitatis humanae*, n. 14, 3º et 4º; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 29; Decr. *Ad gentes*, n. 26; Const. *Lumen gentium*, n. 35 in fine; Const. *Gaudium et spes*, n. 43, 2º in fine. Quoad § 2: Const. *Gaudium et spes*, n. 62, ult.; Decl. *Gravissimum educationis*, nn. 10 et 11; Decr. *Unitatis redintegratio*, n. 11, 3º).

Can. 7

Christifideles illa quae sacri Pastores tamquam magistri et rectores in Ecclesia docent et statuunt, christiana oboedientia responsabili secari tenentur (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 37; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 9 in fine).

Can. 8

§ 1. Cuncti christifideles, ut perfectam vitam christianam, ad quam ipso baptismate vocantur, ducere valeant, ius habent ex spiritualibus Ecclesiae bonis, verbi Dei praesertim et Sacramentorum adiumenta a sacris ministris accipiendo, iuxta sacrorum canonum praescripta.

§ 2. Integrum est cunctis christifidelibus ut, sive singuli sive in associationibus coniuncti, illam spiritualitatis formam, doctrinae Ecclesiae conformem, colant quam in conscientia proprio statui et muneri convenientem censem (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 37; Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 19; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 9; CIC, can. 682).

Can. 9

Christifideles ritum qui ad normam canonis... (98 CIC) est sibi proprius sequi possunt ac debent (cfr. Decr. *Orientalium Ecclesiarum*, nn. 6 et 21; Decr. *Unitatis redintegratio*, n. 4).

Can. 10

Universis christifidelibus officium et ius est active in celebrationibus liturgicis participandi, iuxta praescripta a legitima ecclesiastica auctoritate statuta (cfr. Const. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 14, 29 et 79).

Can. 11

§ 1. Cunctis fidelibus officium et ius est, unicuique pro parte quam in missione Ecclesiae habet, adlaborandi ut divinum salutis nuntium ab universis hominibus ubique terrarum cognoscatur et accipiatur.

§ 2. Omnibus etiam onus incumbit et ius est, unicuique secundum proprium statum et condicionem, ut, sive singuli sive consociati, apostolatum exerceant, in communione cum sacris pastoribus (cfr., quoad § 1: Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 3. Quoad § 2: Const. *Lumen gentium*, n. 33; Decr. *Apostolicam actuositatem*, nn. 10 et 24).

Can. 12

§ 1. Fideles ius habent ut necessitates et optata sua, praesertim spiritualia, libere et fidenter sacris pastoribus patefaciant.

§ 2. Item, pro scientia et competentia quibus pollent, facultatem, immo aliquando officium, habent, ut sententiam suam de iis quae bonum Ecclesiae respiciunt in veracitate, cum caritate ac prudentia declarent, servata semper reverentia Sacris Pastoribus debita (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 37; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 9; Const. *Gaudium et spes*, n. 92, 2º; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 6 ult.; Decr. *Inter mirifica*, n. 8).

Can. 12

§ 1. Christifideles sciant sua esse Ecclesiae opera, ideoque eadem precibus et sacrificiis, atque pro propria idoneitate inceptis quoque apostolicis sustineant.

§ 2. Officio tenentur, ratione habita uniuscuiusque facultatum et status familiae, curandi ut Ecclesiae praesto sint ea quae ad cultum divinum, ad honestam clericorum aliorumque ministrorum sustentationem vel remunerationem et ad alias fines eidem Ecclesiae proprios necessaria sunt media (cfr. Decr. *Ad gentes*, n. 36; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, nn. 17, 20 et 21; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 21; CIC, can. 1496).

Can. 14

Christifideles omnes iure gaudent ut, a quacumque coactione immunes, statum vitae libere eligant (cfr. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*, 11 apr. 1963: AAS 55 (1963), p. 261; CIC, can. 214, 971, 2352, 1087 § 1; Const. *Gaudium et spes*, nn. 26, 29 et 52).

Can. 15

Debita cum auctoritate relatione servata, universis christifidelibus ius est condere et moderari associationes iisque nomen dare, itemque conventus habere ad fines spirituales in communi persequendos (cfr. inter alia: LEO XIII, Litt. Encycl. *Rerum novarum*, 15 maii 1891: Acta Leonis XIII, vol. 11, pp. 97 ss.; PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo anno*, 15 maii 1931: AAS 23 (1931), p. 177 ss.; IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*, 11 apr. 1963: AAS 55 (1963), p. 263; Conc. Vat. II, Const. past. *Gaudium et spes*, n. 68; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 8; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 19).

Can. 16

Rescripta a competenti auctoritate ecclesiastica impetrare possunt, servatis quidem iure servandis, omnes christifideles, qui expresse iure non prohibentur (cfr. CIC, can. 36).

Can. 17

Fidelibus ius est ut bona fama qua gaudent ab omnibus in honore habeatur; quapropter nemini licet illegitime eandem laedere (cfr. IOAN-

nes XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*, 11 apr. 1963: *AAS* 55 (1963), p. 260; Decr. *Unitatis redintegratio*, n. 12; Const. *Gaudium et spes*, n. 26).

Can. 18

Christifideles officium et ius habent servandi secretum commercii epistolaris.

Can. 19

§ 1. Ius est cuilibet fideli iura quae sua sunt tuendi et defendendi; quod ut facere valeat, iure gaudet recurrendi ad competentem auctoritatem ecclesiasticam, et quidem sive via iudicaria sive via administrativa, ad normam iuris.

§ 2. In dubio utrum fideli concedatur recursus per viam iudicariam an per viam administrativam, praesumitur recursus esse iudicarium.

Can. 20

§ 1. Christifideles ius habent ut semper iudicentur a Tribunali quod in causa de qua agitur, ad normam iuris est competens, atque servato modo eodem iure definito.

§ 2. Attamen, ob primatum Summi Pontificis, integrum est cuilibet fideli in toto orbe catholico causam suam sive contentiosam sive criminalem, in quovis iudicii gradu et in quovis litis statu, cognoscendam ad Apostolicam Sedem deferre vel apud eandem introducere.

§ 3. Fideles qui sive in processibus iudicariis sive in causis administrativis sunt partes, ius habent ut audiantur atque ut adiutorio gaudeant patroni libere ab ipsis electo aut, deficiente electione, ab officio ipsis dato.

§ 4. Fideles, contra quos sive via iudicaria sive via administrativa proceditur ratione denunciationis contra eos apud auctoritatem ecclesiasticam factae, ius habent ut sibi nomen denuntiantis communicetur.

§ 5. Christifideles contra quos ab auctoritate ecclesiastica fertur sententia aut decretum, ius habent cognoscendi rationes quibus decisione innititur.

§ 6. Nemo puniri potest nisi ob delicta iure definita, quae poena eodem iure determinata plectuntur (cfr., quoad § 2, CIC, can. 1569, § 1).

Can. 21

§ 1. Christifideles obligatione tenentur servandi ac promovendi iura quae hominibus ratione dignitatis humanae aut divinae ad salutem vocationis competunt. Item servare debent iura quae iisdem in societatibus civilibus legitime agnoscantur.

§ 2. Officio quoque adstringuntur tuendi et defendendi, adhibitis etiam mediis legitimis quibus in ordine civili pollent, libertatem qua Ecclesia gaudet ut missionem divinitus sibi concreditam adimplere valeat.

§ 3. Abstineant igitur fideles a participandis vel sustentandis actionibus quae eidem missione Ecclesiae detimento esse possint, et caueant ne ullam partem habeant in consociationibus aut conventibus, quorum opera bono Ecclesiae sint contrariae (cfr. Quoad § 1: Decl. *Dignitatis humanae*, nn. 1, 6 et 14; Const. *Gaudium et spes*, nn. 26, 29, 42, 65, 68, 75; Decl. *Gravissimum educationis*, prooem. et n. 1. Quoad § 2: cfr. Decl. *Dignitatis humanae*, n. 14).

Can. 22

Omnis christifideles magni faciant doctrinam Ecclesiae socialem atque operibus pietatis et caritatis christiana auxilium praestent, iis praesertim quibus efficax praebetur adiumentum hominibus et populis qui in necessitate versantur (cfr. Const. *Gaudium et spes*, nn. 42 b, 88 b; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 8, c et f).

